



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 56. Et relictis illis iterum abiit & orauit tertiò eumdem sermonem dicens.
v. 44.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

deat videre vanitatem huius sæculi, & oblectamenta carnis, quæ vndique nos molestant, circumveniunt, grauant.

§. 56. *Et relicto illis iterum abiit & orauit tertio eundem sermonem dicens. v. 44.*

Videns Iesus quod nihil admonendo proficeret apud tres hosce suos dilectos Apostolos, abiit & orauit tertio: etiam pro illis & maxime pro Petro, qui enim ter erat negaturus.

Sic nobiscum Deus quotidie facit, postquam inspirationibus suis nos semel, iterum atque iterum admonuit, ut abstinemus à somno peccati, & non obediunt, pertæsus abijt a nobis, donec tandem vel violenter excitati per calamitates, ad pœnitentiam redeamus, & vel per orationes sanctorum ad agnitionem nostri & gratiam Dei reuertamur.

Domine nosti quam sim pronus ad somnum peccatorum, & quoties à te admonitus sim, ut excitarer à somno filiorum Adam & peccatorum, quorum non est numerus, & tamen, eheu! non excussi eum, vt te loquentem audirem, vel trahentem sequerer, donec tandem vel per infortunia tanquam plagas, vel orationes sanctorum tanquam magnos clamores vel timore mortis & angustia gehennæ ignis parumper excitatus etiam tunc negligenter satis & tepidè cogitarem de meo periculo, adeo ut stupeam bonitatem tuam in tolerandis vitijs hominum. Sed hæc est gloria tua, qua elucescit infinita patientia & longanimitas tua. Ergo à modò plenè me excitare perge & amplius laua me, mi Iesu, & ad me redi, ut semel & semper amodò & in perpetuum excitatus te vnicum saluatorem meum audiam, sequar vocantem & trahentem in sempiternum.

§. 57. *Tunc venit ad discipulos suos. v. 45.*

Postquam tertio orasset Iesus & per Angelum confortantem, non tam didicisset patris voluntatem (quam optimè vti Deus ipse sciebat) sed quod Deus etiam ministerio Angelorum ad redemptionem hominum uti decreuisset, vel ut illi præsentem agnoscerent laborem Regis sui, quem pro subditis ille toleraret, consensit plenè natura humana cum diuina in eundem finem redemptionis, passionis ac mortis, mota charitate erga nos miseròs & perditos: & quasi consolata & viribus resumptis rediit ad discipulos suos tertio.

Sic mi Deus mihi fiat ut quando rebellis mea natura ad te sequendum, mandata tua seruanda, crucem tecum baiulando per tribulationes angustias & miseras abhorret, desuper à te per Angelorum opem &

tuam